Oratio ex Harveii instituto habita in theatro Collegii Regalis Medicorum Londinensis festo Sancti Lucae Oct. XVIII. A. D. MDCCLXX.

Contributors

Relhan, Anthony, 1715-1776.

Publication/Creation

Londini : Apud Gul. Johnston, 1771.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/h6w9fg46

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

18

ORATIO

EX HARVEII INSTITUTO

HABITA IN THEATRO

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIS

FESTO SANCTI LUCÆ

OCT. XVIII. A. D. MDCCLXX.

LONDINI,

Apud GUL. JOHNSTON, MDCCLXXI.

THOMÆ LAURENCE,

COLLEGII MEDICORUM LONDINENSIS

PRÆSIDI DIGNISSIMO,

SOCIISQUE EJUSDEM ORNATISSIMIS,

HANC ORATIONEM

IPSORUM HORTATU HABITAM, ATQUE EDITAM,

D. D.

ANTONIUS RELHAN,

Ejudem Collegii Socius.

MAXIMA debetur, Auditores Spectatissimi, Medicinæ laus, quod eodem Auctore & ipsa, & quicquid est bonarum literarum, sanæque disciplinæ, Anglorum gente tanquam ex orco in postliminium reducta fuerint.

NAM, Linacer, ante te ortum, nec sanare corpus Medici, nec animum erudire docti, ut tum habebantur, callebant. Jacebat res Medica, fascinationibus plerumque involuta; jacebant scriptores boni, pars tineis omnino devorata, cæteri aut parum lecti, aut prorsus ignoti: undè & ipsius Sacri Codicis lux tandem penè extincta est.

QUAM arcta igitur societas veram inter medicinam & literas humaniores? illâ enim perditâ, & hæ simul interierunt; quique princeps unam, hic iisdem artibus & alteras, ex integro renovavit. Quem sanè nobis patrem lætissimis gloriamur animis: Quem hujusce Collegii, in perpetuum uti spero mansuri, fundatorem celebramus; hunc omnes æqui, bonique, utrius Restauratorem libenter & gratè agnoscunt.

LAUDESNE has aut nimias, aut Linacro non debitas reprehendit quiſpiam? Recordamini quæſo, qualis fuit ipſo adoleſcentulo Medicina, ipſo autem ſene qualis: quàm ignota, cum primum Rempublicam acceſſit literariam, ſtudia humaniora, quàm ampliſſima vero moriens eadem reliquit: quàm etiam enixè, quàm feliciter in utroque ſudavit. Huic igitur quam damus laudem, ulla nimia cenſeri poteſt? Qui poſt ineuntem ætatem, in Academiis noſtris poſitam, divinitùs credo motus, nam cætera undique inhibebant potiùs, Italiam petit ſciendi gratia, ſe adhuc ratus ſciviſſe nihil. Recolligite pauliſper quantum ſolet ſuperbire animus, qui in ſyſtematibus à teneris enutritus annis, nil extra ea aut verum exiſtimat, aut expetendum: qui cum barbarè ſemper locutus eſſet, cunctos puri ſermonis amatores, veluti Barbaros aſpernatur & odit. Has tamen animi ſordes exuens Linacer, puro tandem ſe lumine donavit. Qui enim ſolummodo exponit quanta aſſecutus eſt Linacer, ex quibus incepit initiis tacens, næ is malignus Linacri laudator habendus eſt.

IDEM verò Barbarus Italiam profectus, paucos poſt annos, vel in ipſis Athenis, ſi Græce differentem audires, ſin Latinè, in ipſa Roma, Auguſto imperante, natum atque inſtitutum exiſtumares. Orationem ejus tam

caſtam

castam quam ornatam, simplicem nec indoctam agnoscebant Itali; minimè æqui exterarum gentium auditores.

Erat in hac tempestate Florentia urbs, tanquam alteræ Athenæ; in quâ, si non unâ, certè potissimum colebantur Musæ; & quicquid est literarum, veræque scientiæ, labore felicissimo pariter ac ingentissimo promovebatur. Deus enim Europæ tam gloriæ quam felicitati benignissimè consulens fecit, ut funesto tempore quo Constantinopolis funditùs everteretur, Medicæa, gens inclyta, in Etruria rerum potiretur: pulsi à sedibus suis Græci eruditi, & soli inter istius ævi homines eruditi, Florentiam non tam exilii sedem, quam Musarum domicilium, otiumque literarium adepti sunt. Principes Medicæi, qui æternum ut tenerent imperium digni, certè in omnibus terris ubicunque affulserit literarum lux semper & summoperè laudandi, hos non ut profugos exules, sed ut legatos ab ipso Deo missos, qui feros hominum cultus emendarent, lætissimis accepere animis. En! iterum Italiam à Græcis colonis excultam atque ornatam; quique olim Orientalem ejus oram, nunc & quæ ad Hesperum vergit, studiis suis ut mitesceret, effecêre.

Quorsum vero hæc? ut Medicæis tribuantur laudes? hoc quis defugiat literarum cultor? quod etiam ad Linacri

nacri laudem non mediocriter pertinet. Hunc enim Laurentius, laudatiſſimos inter Medicæos vel laudatiſſimus, adoleſcentulum & exterum & ignobilem, propter ingenii dotes adeò admiratus eſt, ut ſuorum condiſcipulus filiorum ut eſſet, rogavit & impetravit. Magiſtri fuere in Græco ſermone Chalcondylas, in Latino autem Politianus, in hoc tempore longè omnium celeberrimi, quorum utrumque æquare omnibus, non paucis ſuperare, Linacer viſus eſt. Quis igitur miratur Leonem Papam, Laurentii filium, tantùm promoviſſe bonas literas, quantum cæteri, Papæ grex, eas depreſſerant atque conculcaverant? Cujus ſanè laudis partem non exiguam Linacro jure tribues, qui condiſcipulum ſuum exemplo ſuo provocâſſe, & operâ adjuvâſſe exiſtumandus eſt.

Florentiâ Romam profectus eſt, ubi in Phyſicis differentem Hermolaum Barbarum, magni nominis, ut ut tunc ſe res habuit, Philoſophum audivit. Undè ſi non multum cepit fructum, nullum amiſit quidem; deceſſitque purus atque integer, nec linguam inquinatus, nec vanis quæſtionum figmentis, abs vero naturæ cultu, diſtractus & abalienatus. En! enim Galenum ab ipſo latinè verſum, pulcherrimum idemque luculentiſſimum teſtimonium. In quo agnoſcunt omnes interpretem, non minus caſtum quam religioſum, qui quid ſit Græco, quid ſit Latino proprium ſermoni undique ad unguem callet;

callet; adeò ut Varronem interpretantem, vel Philologum latinè ſcribentem legere videris, quando Græci & Romani alterius tanquam ſui ipſius linguâ utebantur.

Dies mihi deficeret recitanti laudes quas in Linacrum noſtrum ſumma contentione æquales ſui congeſſerunt. Eraſmo carus fuit, nec Budæo minùs carus. Quorum uterque in epiſtolis inter ſe frequentibus, literas atque eruditos memorantes, huic tantum, quantum alii nemini deferunt. Inter ſe non rarò diſcordes, in Linacro laudando ſemper concordes fuere. Hunc verò Eraſmus præſentem præſens maximè coluit, ut præcipuum bonis literis ſubſidium atque ornamentum. Ægrotante autem Linacro quàm ejulatur! virum dicens, qui nec morti, nec morbis obnoxius eſſe debuit. In epiſtola quadam ad eum miſſa, quàm enixè rogat, hortatur, orat, ut ſcripta tandem ſua publici juris feciſſet! ne fortè, mortuo illo, ſummo cum rei literariæ damno perirent. Ego, inquit inclytus ille Batavus, feſtinatior ſum in edendis operibus meis, tu ſanè in tuis præter æquum & commodum tardior. Minimè quidem Eraſmum improbo, quippe ſtylo promptiſſimo præditum, & quantum id ad fovendas jam pullulantes literas intererat, qui probè ſcivit. Linacrum verò noſtrum cordatior quis non probat? qui nihil niſi limatum in lucem proferre, atque perfectum auſus eſt, tam eos qui tum degebant juvans,

quàm omnibus qui futuri ſunt ſtudioſis, carus atque probatus.

Porro in literis idem cognoſcere, idemque ſapere adhuc conjunctiores eos reddidit. Nobile par, & ad ſtudia promovenda unicè natum! Qui non modò de barbaris, ſed de moroſis & putidis itaque Muſarum aſſeclis egregiè triumphârunt. Quorum uterque ſtudiorum hoſtis, hi verò iſtis; quippe amicitiam præ ſe ferentes, nocentiores.

Erant enim tum temporis, præſertim apud Italos, eruditi quidam, nullum in ſoluta oratione ſcriptorem, præter unum Ciceronem, probantes: adeò ut cæteros omnes, ne ipſum Salluſtium, Romanè ſcripſiſſe agnoſcerent. Hos videre eſt, magnâ operâ magnas protuliſſe nugas. In hanc egregiam ſtultitiam non ſemel quàm lepidè ludit Eraſmus. Eandem perpetuò ferè Linacer acutiſſimè inſectatus eſt. Nec ideò Ciceronis oſores vocandi ſunt. Quis enim, in hoc egregio Philoſopho, atque ſummo Oratore excolendo, atque ornando, plurem operam, vel feliciorem navavit unquam? Iſti autem Ciceroniani, Ciceronem unum in ſoluto ſermone legentes, cæteros ſcriptores Romanos ex orbe literario in exilium pepulerunt. Et quibus, tempus omnia vorans; quibus, Hunnorum inſcitia ferox; quibus, ipſa Pontifi-

cum

cum male-ſana pietas pepercerat, hos ipſos, viri literas revocare avidi, tollere & funditùs perdere ſatagebant. Quòd Livium igitur penè integrum hodie, quòd Cæſarem, quòd illud Salluſtii os mellitum, quod graviſſimam Senecæ Philoſophiam habemus, Linacro noſtro cum Eraſmo totum fermè tribuendum eſt. Tullio enim ſolo perlecto, quis cæteros typis ingenti ſumptu & labore mandâſſet? aut quis manuſcriptos eorum libros, in ea tempeſtate nec frequentes nec integros, vel diligenter conquiſiſſet unquam, vel repertos in loca tuta & munita collocaviſſet? Uno igitur, alterove delapſo ſeculo, hæ omnes jam pridem detritæ chartæ, negligenter adſervatæ in æternam clauderentur noctem, in pulverem fumumve exituræ. Varronem nobis eſſe ademptum, pluraque Salluſtii ſcripta, quis Muſarum cultor non graviter dolet? Quid ſi omnes hodie, præter Ciceronem unum deſiderati eſſent? Eos enim fruſtrà quæreremus, quorum nec liber uſquam ederetur, neque ineditus jam ſupereſſet. Damnum profectò cum nullo conferendum! Hinc quantum Linacro debetur, voſmet in mentibus veſtris reputate, nam res orationem noſtram longiſſimè exſuperat.

Post hoc meritum ingens, Grammaticen ejus commemorare, res exilis nec ſatìs digna forſitan videretur. Annon verò hinc flagrantiſſimum ejus in literis

pro-

promovendis ſtudium agnoſcere libet? qui nullum detractavit laborem, quamvis ærumnoſum, & ſibi infructuoſum, ſi modò iis prodeſſe potuiſſet. Prætereà Grammaticen, tunc temporis vel minùs notam, vel minùs puram purgare, & ad priſtinam revocare normam, puſilli, aut cujuſlibet eſſe, quis æquus judicabit?

In quibus hactenùs dixi, tanta Linacro totus orbis literatus, quanta vix cuiquam alteri debet. Quod quidem ſæpè & libentiſſimè fatetur. Apud exteras enim Academias, modò iis aliquid veræ affulſerit ſcientiæ, illius divina eruditio, & ſumma in doctos beneficia celebrantur, & ſemper celebranda ſunt. Quanto magìs igitur nobis eſt celebrandus? quibus, præter cætera in omnes ſimiliter merita, pater ut benigniſſimus atque ſapientiſſimus colendus eſt. Artes enim egregias quas ipſe primus conjunxit, eas nunquam divelli voluit, Medicinam nempe atque in bonis literis eruditionem. Hoc animi conſilium perpetuò tenens, ſpreto ſui ipſius commodo, opus pulcherrimum incipere auſus eſt, & inceptum ingenti ſumptu atque labore tandem perfecit. Nam qui tantum gratia apud Regem ſuum valuit, quantum ejus in Medicina & literis dignitas valere debuit, hanc omnem ad perpetuam Medicinæ laudem, patriæque emolumentum direxit atque effudit: non ſibimet ipſi Epiſcopatus, ſed jura medicis in æternum valitura, &

civibus

civibus ſuis profutura petens. Dolebat rem medicam hominibus juvandis præcipuè natam, his ipſis plerumque nocentem videns, & iſtis credi valetudinem, quibus, ut ait ille, calceos curandos crederet nemo. Dolebat Medicos nullam Minervam, nullaſque literas callere videns, quos omnibus inſtructos atque comparatos eſſe neceſſariò arbitratus eſt.

Regi igitur ſuaſor, auctorque fuit, ut Collegium inſtitueretur Medicorum, qui, veluti Augures, olim ampliſſima Romanorum dignitas, ſuos Collegas liberè, nec vetantibus, nec mandantibus imperitis, in perpetuum cooptarent. Utque penes hos eſſet videre, ne quid detrimenti capiat civium ſive vita, ſive valetudo; omnibus autem modis coercere audaces atque facinoroſos empiricos, qui remediis, vel arcanis letiferis graſſantur, vel notis & probatis in hominum utuntur perniciem.

Magnum ſanè imperium, nec niſi dignis credendum! ſed heu! inefficax atque infructuoſum. Quid valet ſi in Medicos ſolùm, in medicamenta non item, jus exercere poſſit Collegium noſtrum? Quid profeſſores imperitos in ordinem redigere, ſi palam & undique cum ingentiſſima plebis pernicie remedia porrigantur letaliſſima?

Optimas quaſque res quærunt homines, eas verò ſine labore vel ſumptu adipiſci cupiunt: quod in vita & ſanitate tuenda potiſſimum habet locum, undè fit, ut ei maximè credatur, qui certum, facile, & præſens pollicetur remedium; non arte ſua fretus, quâ prorſùs caret, ſed quibus abundè pollet, linguâ promptâ, ore perfricto, mente demùm impuratiſſima. Regis adde edictum, undique per libellos ambitioſè ſparſum: teſtimonia tot hominum ficta, quamvis jurata, quibus & regium præſidium, & ſuamet ipſorum merita ſcilicet omnibus pateſierent.

Ista eruditus quiſque, atque cordatior irridet: cæteri autem peſſundantur dolis. Unum verò ſalvum eſſe, dum intereunt mille, quid tandem juvat rempublicam? Per hanc urbem ampliſſimam ambulanti, iſtiuſmodi quot undique in os objiciuntur tela? adeò ut nonnunquam mihi videor Priamo inermi ſimilis, per caſtra Achivorum infeſtiſſima iter facere, unde non patriæ ſubſidium, ſed Divina vis me ſalvum præſtat.

An hæc temerè dicuntur? Multos podagræ debet Libitina, quanto autem plures, volgatis podagræ remediis debet? Quid ſcrophuloſos, & ſcorbuticos, & hydropicos, quid calculum, febrimve memorem? alia quidem, poſt multas

multas hominum ſtrages, poſt auctorem opibus auctum indies ſeneſcunt; indies verò ſuccreſcunt nova, & ſemper ſuccreſcent, niſi coerceantur audaces, qui nunc ubique, non modò impunè, ſed præſidio legum jactato, graſſantur. Nobis enim jus hæcce coercendi nondum concedit lex. Cur igitur regem noſtrum, populi amantiſſimum, ſenatum itaque, totius orbis domicilium, non quàm celerrimè ſupplices adeamus, ut ſanciant, ne quid medicamentum novum, niſi prius quale ſit perſcrutatum eſſet, atque comprobâſſet Collegium noſtrum, ullibi proferre liceat.

Sed querelis hodie non datur locus, omnia læta & feſtiva ſunto!

Prospiciens ſagax Linacri animus ſanxit, nè quis niſi ſuſcepto prius in altera Academia Medicinæ gradu, Socius aſſumeretur; undè tam Academiarum quàm Collegii ſui ſervavit, auxitque dignitatem; & utrumque arcto atque utiliſſimo tum ſibi tum patriæ fœdere conjunxit. Hinc Medicis favent Academiæ, illinc Academiarum jura tuentur Medici. Cur autem tanti Academias habuit Linacer, quas barbarie, ignorantia, incultu ſqualere ipſe viderat? Gliſcebat & illic orientis doctrinæ lumen. Græcas Cantabrigiæ literas Eraſmus ipſe legerat; ingenia felicia, bonaſque literas in utrâque multum promoverat

moverat Henricus Rex; nec Wolſeius, cætera illaudatus, ſtudiorum hoſtis, ſed egregius & munificus erat patronus. Multa in melius ceſſiſſe viderat Linacer, quare de cæteris benè ſperavit & auguratus eſt. Denique in utrâque Academiâ inſtituit, qui rem prælegeret Medicam, certum quotannis, nec pudendum, iis ſtipendium ex opibus ſuis propriis in perpetuum condonans.

In hoc tanto viro laudando, quis poteſt eſſe modus? nonne ſpatium dicendi legitimum, nonne dies ipſe deficeret? Occurrunt verò plurimi, & iiſdem ex laribus præclariſſimi viri, quos ſilere nec hodiernum hoc inſtitutum, nec ingentia ſua merita ſinunt. Linacrum profectò laudantes, & hos ipſos laudavimus ſimul, qui eaſdem artes & ſedulò, & feliciter colebant.

Quod quidem optimo jure vendicat Caius, qui Anatomiam, Medicinæ adjutricem vel maximam, ex Italiâ decerpens, felici augurio in Angliâ plantavit. Cætera quidem Linacro adeò ſimilis, ut hoc ſalvo illum ademptum nec Medicina, nec Academiæ deſiderârunt.

Hametum, Caldwallum, Gulſtonum de hoc Collegio, de bonis literis, deque patriâ optimê meritos, nec jus, nec fas, nec gratus animus ſilentio præterire patitur.

Quis ille autem proximus, quem gloriâ undique fulgentem, nec oculorum acies ſatìs intueri ſuſtinet? Hic eſt Harveius, nomen per omnes gentes cum laude dictum, ſemperque dicendum! qui, poſt tot ſeculis in Medicina inveſtiganda conſumptis, id invenit, quod in primis hujuſce artis rudimentis pateſieri debuit. Quantum enim valet in morbis ſive dignoſcendis, ſive tollendis, ſanguinis circuitum noſcere, qui ſit, quis ſanus negat? Hac vero de re quàm delirabat cum ipſo Hippocrate Galenus? At vide quàm iniquè, quàm ingratè, in optimè meritos agant homines! Ante ortum Harveium, de ſanguinis circulatione nullus ne ſomniavit quidem; hanc verò poſtquàm ille non modò vidiſſet, ſed certam oſtendens omnium ſubjeciſſet oculis, non defuere invidi, qui palmam & coronam Harveio debitam, ſibimet ipſis præripere contendebant. Heu duram eorum, qui liberales colendo artes hominibus proſunt, conditionem! Quibus, propter inventa ſua vel præclariſſima, quam malignum datur præmium vivis, nec niſi poſt funera gloria!

Quo tu feſſos Sydenhame nos rapis? Tu talis es, qualis, ſi nemo alius extiterit, æternam his ædibus gloriam comparaviſſes.

QUID Radclivium memorem? Quem ſimul ac natum dea Hygeia primarium voluit eſſe Medicum. Quàm inveſtigandis in morbis perſpicax mens! in ſanandis itaque, de quibus jam diu deploratum erat, quàm ſupra omnes felix!

POST hos orditur præſens ſeculum, & hoc præclarorum in Collegio noſtro virorum minimè effœtum. Qui ingentem à Linacro inchoatam gloriam, & ipſi tuiti ſunt, ne dicam auxerunt, ut primum non modò in Medicina, ſed in bonis literis cunctis obtinerent locum. Qui quicquid attinet ſive ad phyſicam, ſeu ad matheſin, ſive ad priſcos ſcriptores, ſeu ad humanitatem, id ſummo ſuo labore, & cunctis opibus ubique adjuvere, atque excoluerunt.

EN Sloanum! qui tantum penum Scientiæ adaugendæ gratiâ, quantum nec reges opulentiſſimi, quantum nec Ariſtoteles ipſe, quamvis adjuvante Alexandro, totius Aſiæ domitore, coacervâſſent. Muſæum principes è longinquo profecti viſere geſtiunt, quod Medico, quod Collegii noſtri Socio, & diu Præſidi debetur. Hoc moriens populo Britannico legavit, donum longè amplius quàm Bithyniæ regnum, quod populo Romano olim legavit Nicomedes.

SUMMAM

SUMMAM in Medicina ſcientiam, cum felici in literis humanioribus acumine conjunxit Friendius, in omne celebrandus ævum. Qui Galenum rebus, verbis Ciceronem ſcriptor referebat.

MEADIUM non modo Collegium noſtrum, ſed tota etiam Britannia, ut eximium decus ſuum, ſemper agnoſcet. In Græco, pariter ac Latino ſermone doctus, tanquam alter ex Cœlo delapſus Medicæus, quo quælibet artes egregiæ promoverentur; quo doctis, ſed modeſtis & inopibus conſuleretur, cunctas ſuas opes libentiſſimè effudit. Undè divitiarum contemptor, quæ divitias longè ſuperat, doctis, & cordatioribus, & benignis gloriam adeptus eſt perpetuò cariſſimam.

QUEM tu, Arbuthnot, in ſalibus, vel in doctrina reconditiore, vel in medendi laude, habuiſti parem?

BROXHOLMIUM, Pellatium, Læum, Letherlandium, alioſque plurimos ſciens prætermitto, non quòd iis merita, ſed quòd nobis oratio atque dies deſint ad dicendum.

SUPERSTITES ne pro meritis ſuis ingentiſſimis laudemus, vetat tam ipſorum pudor, quàm operis noſtri lex.

Quod

Quod ſolum datur, Deum Optimum, Maximum, oro atque precor, ut quod nunc faciunt, ſemper faceſſant, literas bonas cum Medicina excolentes; quod ſibi in gloriam, Patriæ in ſalutem, huic autem Collegio in præſidium & decus perpetuò cedat.

FINIS.